

# VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

## BIS IN MENSE PRODIT

Premium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est: in Italia Libellarum 10;  
ubique extra Italiam Lib. 15; M. 12; Sch. 12; Doll. 3; Rubl. 6; Flor. 7½.

Inscriptiones et omne genus indicationes pretio aequissimo referuntur, quod est in extremis commentarii paginis

Lib. 0.50 pro unoquoque centimetro quadrato.

## Subnotatio fieri potest:

IN RUSSIA IN ANGLIA IN CIVITATIBUS FOEDERATIS IN GERMANIA IN CANADA

Apud GEBETHNER ET WOLF Apud BURNS AND OATES

VARSAVIAE POLONORUM LONDON W.  
Rakowskie Przedmiescie, 15 28, Orchard Street.

AMERICAE SEPTENTR. IN GERMANIA IN CANADA

Apud FRIDERICUM PUSTET Apud LIBRAIRIE GRANGER FRÈRES  
S. Sedis. Apost et S. Rituum Congr. Typogr. S. Sedis. Apost et S. Rituum Congr. Typogr.

NEW YORK CINCINNATI RATTISBONAe in BAVARIA MONTREAL  
52, Barclay Street. 436, Main Street. 1699, Rue Notre-Dame.

QUIBUS IN DISCIPLINIS MULIERES EXERCERI POSSINT . . . . .	G. P.
IOANNES PASCOLI . . . . .	A. Bartoli.
RUS ALBANUM . . . . .	Fr. Xav. Reuss.
SUBLACUM . . . . .	Senior.
GEOGRAPHICAE RES. Exploratae nuper regiones . . . . .	A. Costaggini.

HORAE SUBSECIVAE:	
Maximiliano Franzinio de Seminario Vaticano optime merito auspicanti sacerdotii annum L die sacra Christo resurgentis . . . . .	
Sacerdoti novensili sacrarum litterarum codicis donans . . . . .	
TABACI CASUS ET VICES . . . . .	F. Pellegrini.
COMMUNIA VITAE. Nostra res . . . . .	I. Sola.
SOCIORUM ANIMADVERSIONES. De « Novae stellae » cursu . . . . .	P. Alexis.
ANNALES . . . . .	H.D.V. Pieralice.
AENIGMATA. . . . .	P. R. Rod. (Illustrationes)

In tertia operculi pagina:

PER ORBEM . . . . .	Poplicola.
IOC. . . . .	Fr. Palata.

## ROMAE

EX OFFICINA PACIS, PH. CUGGIANI

M.CMII

# COMMENTARII "VOX URBIS,"

## SOCIIS ET LECTORIBUS

ANNUM MCMXII

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIIS

**Q**UADRIENNIO iam assueti, diebus hisce redeuntibus quotannis et facta respximus, et facienda promisimus; illa ut ostenderemus nos religiose fidem servasse, haec ut incundiora sociis nostris polliceremur. Nullum quippe mortale opus est, quod ipso in exordio undeque perfectum sit atque expolitum, ipsaque signa Mironis, affabre quamvis conflata, polientis minima limae labore et mora indigebant.

Itaque commentarius nostro unusquisque annus plura attulit emolumenta, sive amplificanda indicaret, sive minuenda ostenderet, sive nova induenda suaderet, sive penitus exterminanda monstraret. Qua quidem in re magni fuit nobis opera sociorum, qui vel missis epistolis, vel communicatis ore consiliis, vel datis elucubrationibus undique gentium nonnulla emendarunt, plura auxerunt, plurima perfecerunt. Nos autem dociles gratique tantis viris laeti accipiebamus quae mittebantur, et morem gerebamus eruditis, quorum nominibus quasi totidem stellis commentarius noster coruseat, et, audientes dicto in meliora conantium, in meliora pariter nitbamur. Ita coniunctis viribus, factum est ut ex nostratis atque exteris nemo nobis crimen impegerit, quasi promissa dedissemus, quae non ad unguem praestitissemus.

Nunc itaque quae erunt futura perspicimus laeto animo tempora, praecipuum quasi indicantes callem, per quem proximo anno gradiemur. Meta quidem una est, incrementum latitudinis; quam tamen in metam, non una sternitur via. Nos neque superbe tenuisse magnis itineribus propositum finem, neque semitas creasse confitemur, contenti exiguo calle, quem ab ipso commentarii exordio inivimus. Cui quidem nec spinae, nec sentes defuerunt; sed propositi tenax animus, sed conscientia boni, sed gratia vestra, o socii, sed labor assiduus omnia vicerunt, ita ut quasi e collis apice superata spatia respicientes, non quidem ab ipso condito commentario, sed ab iis, quae superioris anni initium signarunt, laetari liceat et fructus uberes, et iucundissimos visu flores percipisse una cum laude sapientum.

Enimvero elabente iam anno auctus est commentarius figuris, elucubrationibus, nitidioribus literarum notis; auctus non medioeriter scriptorum numerus, quos inter magno cum gudio accensuimus viros litterarum fama clarissimos. Accessit scriptorum centuria, quibus calidus iuventa sanguis fervet, et spes arridet, et est praesaga boni voluntas. Iamque hisce

*sunt fortia bello  
Pectora, sunt animi, promptaque ad fortia vires;*

ac tempus erit, quo non inter triarios modo, sed et inter primipilos, ducesque versentur. Igitur spes magna arridet fore ut, hisce adeuntibus, et alios atque alios alliecentibus, messis uberrima erescat, et vetus gloria latitudinis tandem aliquando revirescat.

Vos autem maxime, adolescentes, illud ne fugiat, in litteris fieri, quod in aedificiis exstruendis quotidie videtis. Non unius opera, non uno lapide illa excitantur, sed coniunctione plurium; hi enim caementa comportant, hi lapides, hi arenas, hi fontem, hi lateres, hi trabes, hi tigillo, dum illi saxa scalpis aptant, illi marmora secant, illi varia obeunt munera ut opus exsurgat ad solaria, ad tecta, ad crepidinem, ad fastigium. Ferat unusquisque vestrum quod potest, qui simul omnes omnia potestis; nam unusquisque suae regionis praestabilia novit, quae, si notarit communicabitque, coalesceret opus, et commentarius noster, cui patent omnia litora regionesque omnes orbis terrarum, dominium gentium, quod latina lingua tenet, notitiis undique susceptis, facile praferet ipso in incessu, et in fronte.

Quae igitur monumenta vel sub dio pateant, vel reperiantur effossa, quae industriis, negotiationibus, commerciis terra marique tententur, quae denique in omni genere usui hominum inventa sint, a singulis vobis expectamus, qui non mediocrem honorem apud omnes eritis adepturi ex restitura latitudine, in quam feliciter incubuistis, pelago ratem primi committentes.

Atque haec pars auxilii est, quod flagitamus. Nam, si quid gratiae apud socios ac lectores labores nostri meruerunt, illud etiam vehementer petimus, ut qui nomina commentario dederunt, non ipsi modo in proposito content, sed suos inter amicos sociorum numerum quaerant. Impendia quippe enormia sunt, quibus pares non efficimur, nisi societate multorum. His autem largienda futuro anno praemia, eademque more nostro munifica, proposuimus, quae sequuntur.

Compertum est paene omnibus, Florentiae aedificium esse fratrum Alinari proprium, in quo, artificio mirabili «photographica» plurima undique exquisita, exprimuntur. Nos iampridem ab eius officinae dominis libenter concessa usi facultate sumus referendi in imaginibus Commentarii quotquot ex opificio eorum tabulae placuissent; qua quidem potestate intra urbanitatem et non sine magna lectorum delectatione hactenus usi sumus. Hi autem Alinari fratres, qui tanta felicitate eiusmodi industria potiti sunt, per eamque, parta sibi singulari

scientia lucis, egregiam sui nominis famam undique gentium divulgarunt, experimentis plurimis patientissime adhibitis, tandem aliquando id sunt consecuti, quod ferme maximum in re videbatur, quomodo tabulis, imaginibus, locis, regionibus apparent colores eosdem, quibus illa aut natura, aut arte essent praedita. Haec, visu sane mirabilia, Florentiae his diebus edidit apta officina, quam A. Pini moderatur, patentque metr.  $0,30 \times 0,40$ ; quod autem super cetera movet est colorum vis, qua non squalentes apparent imagines, sed clarae, vivae, nitentes quasi e manibus egregii artificis prodierint recentissime. En autem tabularum indicem, quas nostris hisce oculis obstupescentes vidimus, quasque sociis comparaturi sumus:

- I. **Pallas Minerva.** — Tabula ALEXANDRI FILIPPI (vulgo Botticelli). Est in regiis aedibus palatii Pitti, Florentiae.
- II. Tabula titulo **Madonnina auctorem habens RUPERTUM FERRUZZI.** In ostento Venetiis habito an. MDCCCXCVII celebratum hoc opus emit servatque Ioannes G. A. Leishman.
- III. **Maria Virgo Mater cum Divino Filiolo.** — Tabula CAROLI DOLCI, in regiis aedibus uti supra asservata.
- IV. **Magdalena.** — Eiusdem DOLCI tabula est in pinacotheca degli Uffizi, Florentiae.
- V. **Maria Iesum puerum adorans.** Effinxit ANTONIUS ALLEGRI (vulgo il Correggio). In eadem pinacotheca.
- VI. **Idem argumentum quod tractavit PHILIPPUS LIPPI.** Ibidem.

Habebunt ex his pulcherrimis «photochromis» unam, prouti elegerint, singuli socii, qui, praeter suam subnotationem, recto tramite ad Aristidem Leonori equitem, commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem, Romanam, via Alessandrina, 87, persolutam missamque, noyam subnotationem cum eiusdem pretio miserint. Quot autem erunt subnotatores novi, totidem photocromias iuxta optionem accipiet qui ipsos procuravit. Qui vero novos subnotatores miserit duos, hic vel duas, quas maluerit, photocromias eliget, vel tertiam sibi subnotationem nullo pretio.

Proposita haec dona, quae sociis futura grata confidimus, animos addant ad latitudinis causam tuendam, quae optimo cuique est causa humanitatis.

VOX URBIS.

# VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

PRETUM SUBNOTATIONIS:

In Italia: lib. 10 — Ubique extra Italianam:  
lib. 15, m. 12, Sch. 12, Doll. 3, Rubl. 6, Flor. 7 1/2.

BIS IN MENSE PRODIT

POSSESSOR ET ADMINISTRATOR:  
ARISTIDES LEONORI, eques.  
ROMAE - Via Alessandrina, 87.

## QUIBUS IN DISCIPLINIS

MULIERES EXERCERI POSSINT (1).

**G**RAVISSIMO revalescens a morbo, quo in discrmina mortis sum ferme adactus, mense integro et ultra inter vitam aenept et exitum, supremas olim susceptae elucubratiunculae imposturas opellae finem admoveo manus. Qua in re si lectoribus Commentarii nostri minor quam in exordio videndus exstitero, parcent, oro, menti adhuc nutanti, dextraeque fessae et propemodum fatiscenti, ac diuturni nondum patienti laboris.

Medicinae artem ac disciplinam ultro libentesque mulieribus tractandam exercendamque concessimus indulgentes humanissimae feminorum indoli, quae maternum quid delicatissima infirmis ostendit; idque eo magis concedendum reor, quum in morbis sexus debilioris pleraque sint, quae muliebris, puellarum praecipue, pudor et verecundia viris manifestare medicis horret. Quo saepe factum est ac fiet ut frustra pareatur medicina postquam dissimulata diu mala longas per moras invaluerunt. Verum haec omnia ad bonum aegrotantium. Idemne censem ad utilitatem pariter medicarum? Libere fatebor. Duplex haec utilitas caput habet; aliud est enim ex praestita opera mercedem suscipere, aliud est moralis utilitas puellae addiscentis ut medica fiat. Sexui nimis cereo, (cum Horatio loquor, et qui habet aures audiendi audiat) utile num est illa scire, et illa tractare, quae «anatomiae» πρᾶξις et γνῶσης, sine quibus medicina esse non potest, cognoscenda, contredicandaque medicis puellis tum iubet, tum praebet? Num pater, num mater (et plerique id solent) redeuntem a schola filiam circa auditam et peracta interrogantes, diligenter ea respondente quae audiverit, quae fecerit, non erubescunt dum illa perfecta et cornea fronte narrabit? Quid si et illa quae tractare, volutamente memori, — necessitas enim est, — nominare non erubuerit? Haecne pudicitia mentis in Christiana virgine? Haecne pudicitia oculorum? Proh! fatui Ambrosii, fatui Hieronymi, bardus et ipse Paulus Apostolus, doctor gentium, qui hac in re tot vesana effutierunt! Stulti patres et matres, et quotquot pubescentes puellas, adolescentulas a lascivis paginis, a scenis procaecibus omni industria arcuerunt, qui filiae innocentissimae nive candidiorem animam omnislasciviarum documento non imbuierunt, non erudierunt! Querebatur de maturis Horatius aetate sua (2); nos immaturas, — eo processimus! — in disserimen urgamus Horatiano deterias!

At, ne durissimus habear, velim adolescentulas, puellas, quae chirurgiae, quae medicinae daturae fuerint operam, certos intra fines, quos pudicitia et verecundia praescribant necesse est, ad XXV usque annum continendas; interea in nosocomiis praxi exercendas; post haec, iuventa minus iam aestuante, ad ea provehi, quae addiscenda in iunioribus non probavi. At haec uti fiant, et recte fiant, athenaeum, feminis tantummodo proprium, constituendum censeo; utinam et medicas doctrices haberet! De chirurgia vero, praeter notata, credo magnam habendam rationem virium femininearum, dum in iis, quae manuum delicatissimarum sunt, puta in curandis morbis oculorum, narum, oris, gutturis, aurium, et similium, optimum duco eas adhiberi.

Dicam nunc pauca de iuris disciplina mulieribus, ut exerceant, incunda. Verbosum genus mulieres et pervicax; misereor iudicium, coram quis perorabunt, misereor eorum, contra quos dicent. At vos videte quid futura visu sit oratrix, nono iam propior mensi, induita toga, pilatea, etsi ornata, etsi facunde disserens.

Solventur risu tabulae, nam circum Romani tollent equites peditesque cachinnum. Quid si lactandum infantem sine more vagientem, et, praeter maternas manus, solatii impatientem ancillula, ad perorantem impetu perorationis aestuosa adduxerit?... Sed haec quasi lepida scripturam et iocosa fingo. Magnum nomen oratoris est, magna auctoritas, magna maiestas. In oratore, ait Cicero, (1) acumen dialecticorum, sententiae philosophorum, verba prope poetarum, memoria iurisconsultorum, vox tragedorum, gestus paene summorum actorum est requirendus. Nec is orator habendus est, qui aliquam artem doctrinamque contemnat, sed qui omnes, quasi comites et ministras possideat. Quamobrem, ita Cicero, (2) is orator erit, mea sententia, tum gravi dignus nomine, qui, quaecumque res inciderit, quae sit dictione explicanda, prudenter, et composite, et ornata, et memoriter dicat cum quadam etiam actionis dignitate. Quum autem oratricem dico, non ego causidicum nescio quem, neque proclamatorem, aut rabulam hoc sermone conquiro, sed quae sit eius artis antistita. At haec omnia non capiunt feminei cerebri angustiae, non recipit muliebris levitas, non egestas, non infirmitas ingenii sustinent. Quid ergo? Ideone legibus ornatae, excolendaeque feminae, ut ex iis causidicas et rabulas habeamus, quasi nimii non essent fuci illi Iustinianaei, qui, per aulas et

scalas tribunalium euntes et redeentes, retia tendunt bona fide adeuntibus? Quo vitio quotquot laborant, sive homines sunt, sive mulieres, nullo discriminis et quasi latrocinationis insidiosae primum, postea etiam impudentiae damnabo. Nam volitare in foro, haerere in iure, ac praetorum tribunalibus, iudicia privata magnarum rerum obire, in quibus saepe non de facto, sed de aequitate ac iure certetur; iactare se in causis centumviralibus, in quibus uscpcionum, tutelarum, gentilitatum, agnationum, alluvionum, circumluvionum, nexorum, mancipiorum, parietum, luminum, stillicidiorum, testamentorum ruptorum, ceterarumque rerum innumerabilium iura versentur, cum omnino quid suum, quid alienum, quare denique civis, an peregrinus, an servus, an liber quisquam sit, ignorant, insignis est impudentiae.

Ciceronianis hisce sententiis quid amplius, quid magnificentius? Quum ergo hic multos viros prohibere a iurisprudentia volebat, qui oratores esse non poterant, sed causidici et rabulae et blaterones tantum prodibant, num nos tales faciemus insuper feminas?

At nunc quis dicet: — Ergone siqua erit, nam habemus clarissimas iurisprudentia claras mulieres, quae Bononiae, quae Romae, quae Neapolii magna cum laude docuerunt, siqua erit quam indoles rapuerit ad leges et iura....? Faciatis, ac bene sit!; respondebo; verumtamen aliud est alieui aliquid concedere quasi portento, aliud omnibus concedere quasi de more. Si libuerit, adeant athenae, choro audientium iura et addiscientium Iustinianaeas disciplinas admisceantur; non hie pericula imminent illis, quae in medicina perspeximus; at quam aversis diis, quam lugubri alite cursum suscepserint brevi experientur.

De mathematicis disciplinis addiscendis idem dicam circa feminas erudiendas, idem de physicis, de astronomicis, de botanicis dicam. Indolem ducem quaeque sequatur, at non sperent, at non sit voluntas parentibus eas immittendi in has disciplinas ad lucrum, ut, turpe dictu!, maritus uxorem quasi praedium quaerat, quo alatur otiosus, et vivat. Quaestum in uxore quaerere et ab uxore, sordidum est; caveant parentes, caveant mulieres ipsae ne Plutus ingandae praesit, cui prudens et cata antiquitas unicam pronubam constituit Iunonem. Telegrapho, telephono, diribitoris epistolarum optime inserviant, musicae dent operam, dent operam linguis addiscendis, tradendis; fabulas et scribant si placuerit, versus componant, et litterario Iudo illae exerceantur, quas Phoebus sibi elegerit, et amaverit. Non impediam eas, ne verbo quidem, quominus ista tentent, procedant,

(1) Cfr. an. V, n. VI.

(2) HORAT., Od., lib. III, VI.

(1) De Ora, lib. I, XXVIII.

(2) Ibid., XV.

proficiscantur et beatis otis et comite fortuna; at laboriosis a disciplinis abstineant manus, a praeruptis viis pedes contineant, gratiasque agant Deo Optimo Maximo, qui labores et aerumnas homini tribuit, partem vitae amarissimam, onusque gravissimum. Domi, familiae, viri liberorumque cura sit iis, quibus credita filiorum salus, domestica res et supellex, educatio sobolis prima, qua futuri heroes patriae praeparentur; religionis documenta prima, et praecipua virtutum semina in puerilibus animis altius materno figant sermone, pietatem, verecundiam, humanitatem. Societati enim, patriae, religioni utilis est materfamilias optima, non scitissima mulier; haec ambitioni inserviet suae, illa bono atque incremento multorum.

G. P.

## IOANNES PASCOLI.

COGITANTI saepe numero quem vere locum, post renatas litteras, in scribendi ratione ab optimarum artium et disciplina profecta, gens nostra obtineat, quidve sint laudis adepti qui optimis latinitatis auctoribus diurna nocturna manu versandis se totos tradiderint, illud mihi persuasum est nondum apud nos eam prisci sermonis gratiam perisse, qua, seu iuncto, seu soluto pede uterentur, saecula XV et XVI cum Augusti aetate paene de gloria certarunt; tantumque bonae antiquitatis studiis, quae propius ad cultum atque humanitatem pertinent, adhuc Italiam florere, ut cuiolibet finitimarum nationum par esse possit; nulli autem cedere, si qui ad latine scribendi facultatem se converterint.

Quo in numero, ut grammatica arte clariiores praeteream, Ioannes Pascoli ex castro Sancti Mauri est ponendus, quem Hoeufftiani certaminis victorem a regia disciplinarum Academia Nederlandica renunciatum nuper acceperimus. Neque enim eo melius quisquam Musas a Didaco Vitrioli illo exsules in patriam revocasse, recte intuenti videbitur; quippe cuius carmina septies aureo praemio Amstelodami donata, quater magna laude ornata, omnes Vergiliani atque eadem Horatiani stili veneres praecipue redoleant, in iisque vix quicquam deprehendas, quod magno sane poeta esse dignum neges.

Hunc Commentarium legentes non latet quidem scriptorem, de quo agimus, haud parum ab italicis quoque numeris innotuisse, et principem, ut nonnulli volunt, eiusdem scholae « independentis », quae dicitur, exstare; sed quamquam patria lingua usus bene de nostrae poesis instituto Pascoli meretur, non tamen eamdem, qua latinis excelluit fidibus, aut ego fallor, virtutem est assecutus. Ibi enim extraordinarium quoddam novitatis studium, sive ad res, sive ad verba respicias, subobscurum *Myricas* scribentem non numquam efficit, quod in *Poematis* etiam, quamvis minus, offendit; contra ea latina dictantem nec *facundia deserit nec lucidus ordo*; et praeter id, quod admirabilis quaedam cunctis carminibus inventionis vis inest, optima quaeque a poetis petentem facile agnoscas, non ita tamen ut citius sua ipsius quam aliorum esse fateare; in rebus spiritum, in verbis sublimitatem, in affectibus motus omnes, et in per-

sonis decorem. Scilicet eum ipsum magni documenti esse qua ratione praeccipue in latinis litteris tradendis magistri nitantur: quod si cui umquam, nostrae potissimum aetati necessario observandum sentimus, cum tot tantisque in sacrum studiorum aream argumentis nonnulli suea insipientiae signa conferant, iidemque bonarum artium cultores conviciis incessant, ut et qui italicis scholis praest graviter commotus in summum discriben latinae linguae institutum paene adduxisse videatur, eo quod quaestionem tantum de re proposuerit. Id enim longe lateque patet perpaucos esse qui, octo annorum spatio in secundi ordinis ludis insumpto, non optime latine, sed tamen grammaticae aliquid scribant; nec quisquam mirabitur si qui, « lyceum » quod dicitur vel summa laude egressi, sciunt *in urbano lepidum seponere dicto, legitimumque sonum digitis calent et aure*.

Memini, cum Senis in Etruria otiandi causa septem abhinc annos versarer, cuidam adulescentulo nec acris ingenii experti nec arte rudi, quippe qui in litterario ludo primas ferret, inter scyphos octoginta fere versibus ex tempore factis, plura in quamdam Ciceronis de eloquentia provehenda sententiam, quae magister latine discipulis scribenda proposuisset, dictare, eumque nulla certae pedum necessitatis ratione habita, ne sensisse quidem versus esse!

Obicientibus vero non omnes qui litteris narrant operam poetas fieri oportere, quos ceterum « nasci » tantum scitum est, magno opere ad solutam orationem conduceare adsidua in carminibus pangendis exercitatio videbitur, ubi ii animadverterint quantum verborum usus et syllabarum cura iudicij postulent, tum quae in epithetis collocandis, atque in iis quae idem significant eligendis ratio sit adhincenda; quae « debent esse, — Quintilianus ait —, non solum nota omnia, sed in promptu, atque, ut ita dicam, in conspectu ».

Neque nostris scholis ad hoc exercitationis genus affirmare ausim libros deesse; magistros potius doleo talia pauci habere. Quotus enim discipulis per volutandum tradat aureum Gandini libellum qui de re metrica nonnulla docet, optime ad carmen concinnandum exercitacionibus additis, neminem latet. Quod scribendi genus hoc magis necessarium puto, quod adolescentes, qui a lyceo sunt egressuri, nuper ab italicis idiomate tantum vertere iubantur, ad pernoscendum quid quantumve in re latina profecerint. Quod quidem indicat aliquid in iudiciis de romana lingua ediscedenda apud peritores esse immutatum. Namque non ita multis annis ante erant qui, cum puerile et eiusdem infelicitis operis, tum etiam utile parum latine scribere putarent, optimeque illum de litteris mereri, qui totus in codicibus evolvendis et in subtilioribus grammaticae nugis esset: certe quibus hic Noster haud aequo iure, nulla philologicae artis disciplina cognitus, sed tantum exultissimis carminibus commendatus, ad Messanensem studiorum sedem, ut litteras latinas traderet, pervenisse visus est; proinde quasi qui omnium in se oculos, tanta scribendi elegantia, convertisset, illi ingenium non foret ad eos edocendos aptum, unde in litterariis ludis deinceps pueri nostri instituerentur!

Nihil enim salsius elegantiusve illis carminibus, quae supra memoravimus, hac quidem aetate, invenias; et quamquam plurimos XIX saeculum poetas tulit, ut in libro nuper edito a clar. viro Tincani (1) videre est, ubi frustra Nostri aliqua desiderantur, omnibus tamen Ioannem Pascoli, si Vitrioli unum exceptis, praestitisse facile adfirmes; quippe cuius inter Ferrucci, Rosati, Zappatae, Ricci, Albini, Moltedi, Gratiani, ut notiores tantummodo attingam, carmina tantum renideant *quantum inter ignes aurea luna minores*. Namque is intimo quodam latinitatis sensu, cum se optime scribendo romanum, tum in inveniendo felicissimum praebuit, omniaque ab eo concinnata e Catullo, Vergilio, Horatio ortum, vel strictim consideranti in novam quamdam eorum carminis auxilio, ut sic dixerim, explanationem, ducere videntur.

Putamusne *Veianum* qui donatus iam rude et armis *Herculis ad postem fixis* in agris degeneret (*Epist. I, 1, 5*) a Flacco melius celebrari posse? num suaviori de re rustica conloquio *Phidylem* (*Carm. III, 23*) parvo cultu contentam, adiri? Quae vero innuit *Venusinus Augusti redditu* (*ib. III, 14*) sibi a Neaera obtigisse, num quisquam doleat quod tam perfecto et ad unguem castigato carmine Noster MCM XXXII fere annis elapsis, cecinerit? atque idem retulerit quibus poetae post

*Sarmenti securae pugnam* *Messique Cicirri* in Caudiano Nervae iucunde cenam produxerint illam? (*Serm. I, V, 20*) —

Cum vero Flaccum in *Sosiorum fratrum Bibliopolarum* aedibus eidem occurrentem facit, quicum Philippi cladem noverat, et belli civilis causas deprecantem, non iam nostrae, sed illius, qua ea quae accidisse in carmine memorantur, aetatis poetam esse, immo ab ipso, qui inducit, vate omnia conscripta paene dicas. Quod autem ad *Myrmedon* poemation, vergilianum illud spirans « molle atque facetum », hande debor rei actae fidem exceedere si nihil quod invideant apibus Maronis et bombycibus Vidae formicas illas dixerit habere. De *Centurione* quem hoc anno iudices Batavi aureo praemio donarunt, nihil compertum habeo; nondum enim in lucem legati Hoeufftiani sumptibus carmen prodiit: cognitum vero huius Commentarii lectibus subieciemus.

Reliqua autem eiusdem auctoris, quae tantum eximia laude digna visa sunt, *Laureolus*, *Castanea*, *Iugurtha*, *Catullo Calvos*, nemo est, mea quidem sententia, qui sua abnueret: in primis ii iudicent qui sapient latine.

Itaque laetandum est quod tantum latinis Musis hodie etiam ab Italia decoris contingat, et de viro clarissimo, qui veterum scriptorum, ut mihi videtur, non tam imitator quam aemulus dici meruit, idem fere quod M. Antonius Flaminius de sua aetatis poetis, dicendum arbitror:

..... vel ipse  
Solus, barbarie queat fugatu  
Suum reddere litteris latinis  
Splendorem veteremque dignitatem!

Dabam Bagellae prid. Non. April. MCMII.

A. BARTOLI.

(1) *Prosa e Poesia latina*, Parte Seconda. Firenze, Sansoni, 1901.



## RUS ALBANUM

Carmen FRANCISCI XAVERII REUSS  
in certamine poetico Hoeufftiano magna  
laude ornatum.

Sole sextili male dum petita  
Roma torretur, mihi ter beato  
Collis Albanus patuit, iuvante  
Prodigiis umbra.  
  
Spirat hic, morbo temerata nullo,  
Aura quae pinu, cytiso thymoque  
Fragrat et mentha, vapidoque purgat  
Sanguine venas.

Mane vix claro, mihi sub fenestra  
Aliger cantat chorus, Orpheumque  
Vincit et quidquid tibi, Roma, mulcet  
Suavius aures.

Alitum cantus monet, ut superno  
Gratuler Regi, mihi qui, benignus  
Auctor et primum Decus, haec decora  
Otia fecit.

Mox inumbratam subeo frequenti  
Semitam lauru; meditorque carmen,  
Lance quod iudex Batavus severa  
Pendat et aequa.

Xystus in vallem sinuosus exit;  
Exit ad lympham, tacitis amatam  
Piscibus, ranis quoque, quaue ferme  
Nocte canoris.

Unda, quae torpet, vigilat repente,  
Frusta cum sentit cecidisse panis.  
Iam fremunt irae, trepidant tumultus,  
Praelia fervent.

Nam quod a nostris geritur perenne  
Ciribus bellum, dape ne diurna  
Excidat quisquam, pecudum perinde  
Aspera sors est.

Interim stagnum saturum sciurus  
Aspicit torvis oculis: opimam  
Invido coenam data nux ministrat,  
Gaudia reddit.

Trames ascensu petit inde leni  
Verticem montis, speculaeque tandem  
Inserit celsae caput, unde vasta  
Scena patescit.

O mihi ductas ibi sub vetusta  
Fraxino, taedas prohibente solis,  
Aureas horas, meminisse quarum  
Usque invahit!

O ut eluxit decus omne ruris!  
Ut gravis Romae species: amicae  
Nunc quidem Pacis, rigidi sed olim  
Martis imago!

Longa, dum visu propiora lustro,  
Collium ridet series: olivis,  
Vitibus, sicu, Syriisque late  
Consita malis.

Purpura iam se, rutilo vel auro,  
Indunt uvae; nocuas colonus  
Amovet frondes, facilem laborem  
Cantibus ornat.

Arbores inter viridesque sepes,  
Albicat passim nova villa: frontem  
Diceret comptae nimium, procacis  
Forte puellae.

Ora matronae veneranda produnt  
Rusticae sedes veterum Quiritum,  
Quas (ut ancillae) rudiora stipant  
Tecta clientum.

Omnis haec circum regio reclivis  
Florido serto nitet oppidorum,  
Queis sui fasti celebres, suumque  
Nomen avitum.

Vester, Albani, Lacus et serenum  
Aetheris reddit iubar et profundum:  
Caeruleus terrae merito Latinae  
Dictus « Ocellus ».

Haud procul nigrent monumenta pugnae,  
Qua truci fratres utrobique terni  
Marte certarunt, utra, Roma an Alba,  
Sceptra teneret.

Tusculum, doctos Ciceronis hortos,  
Cernis a dextra; neque castra distant,  
Unde terribat, solitam minari,  
Annibal Urbem (1).

Montis, a laeva, bifidum cacumen  
Pons Aricinus iugat: arcuatis,  
Terque congestis, superare pilis  
Ausus hiatum.

Inter haec gratus, medio sub aestu,  
Ventulus spirat, mare quem propinquum,  
Candidis sectum tumidisque velis,  
Frontibus afflat.

Aequor affulsit vitreum; simulque  
Aequor emersit Latialis orae,  
Qua sedet, templis redimita, fulgens  
Marmore, Roma.

Huius effugi plateas domosque,  
Sole nunc uatas Libyco: quis o te  
Torridam iussit posuisse regni,  
Romule, sedem?

Moesta Romano gravitas in agro:  
Arbores rarae, sitiens ubique  
Gleba; vix cursum Tiberis virescens  
Signat arundo.

Flava, post foenum, seges est resecta;  
Iamque, dimissis pluviis, dehiscit  
Mille per rimas humus, unde febris  
Evolat ardens.

Tractus immensus silet ille, nulli  
Tritus, advecti nisi quum vapore  
Transvolant currus, et acuta raptim  
Sibila mittunt.

(1) Campum Annibalis, vulgi secutus opinionem quae magis poesim redolet, ad ducem Poenum referre malui, quam ad gregarium aliud nomen.

Aridis pratis nec oves inerrant,  
Nec boves, nec qui spatium vorabat  
Ante, qua Ductus abeunt Aquarum,  
Pullus equinus.

Aeris fervor nebulam iacentes  
Fudit in campos, nihil unde certi  
Emicat, praeter tua, Vaticanum  
Culmina templum.

Haec diu specto, faciemque Romae  
Mysticam scrutor, veteri decoram  
Gloria, qualem ter oborta nona  
Saeca dederunt.

Qui Deus finxit populos, Quirites  
Regiam fecit validamque gentem;  
Cui, vel infanti, peritura numquam  
Sceptrum paravit.

Dixerat: « Ne quis subolem lassessat  
Romuli! Frustra Rutulus, Sabinus,  
Umber et Samnis, vel Etrusca pubes  
Bella movebunt.

Brennus irrumpat licet atque Colles  
Occupet septem! Trebiaeque victor  
Funus ad Cannas celebret Quiritum!  
Strata, resurges,

Roma! quae posthaec, domito propinquo  
Hoste, victrices aquilas remotis  
Inferes terris: tibi namque tellus  
Serviet omnis.

Serviet Baetis, Thamesis, Garumna,  
Ister et Rhenus, Tigris atque Nilus;  
Ipse Iordanes tibi disset undas  
Volvere sacras.

Mox tamen Christo tua regna cedes,  
Urbs triumphatrix! positisque signis  
Caede foedatis, Labari sequere  
Candida signa ».


O mihi salve, meliora longe  
Iura sub Christo duce consecuta,  
Roma, non armis, sed amoris uno  
Robore pollens!

Perge, qua late patet Orbis, aliam  
Gentibus legem reserare Christi;  
Perge vexillum Crucis irrepertas  
Ferre per oras.

Si qua tempestas furit, Architecto  
Fide divino: memor, haud movendo  
Esse te nixam scopulo, procellas  
Frangere docto.

Corruent arces reliquae; peribit  
Quidquid humanam steterit per artem,  
Inter agestas ita tu ruinas,  
Auspice Christo,

Roma, perstabis nihil imminuta:  
Prisca Traiani veluti Columna  
(Quam Forum serrat) multilas stat inter,  
Integra, pilas.



SUBLACUM.<sup>(1)</sup>

Monasterium quod in valle *Puccia* Benedictus constituit Sanctis Cosmae et Damiano dicatum, post Patriarchae mortem Sanctus Honoratus, tunc asceterii abbas, olim ipsius Benedicti discipulus, cui in regendis Sanctae Vallis coenobiis successerat, amplificatum, et augustiore templo dictatum, voluit ipsius viri Dei et Scholasticae sororis eius nominibus illustre. Hoc itaque, usque in praesens, est, quod Sanctae Scholasticae monasterium, et archicoenobium appellant, (dum superius, specuense scilicet, a Sancto Benedicto appellatur), ipso Gregorio Magno Pontifice conserante, et novum titulum iubente. Tertium fuit monasterium Sancti Angeli post lacum, sive in *Balzis*; quartum Sanctae Mariae *Morrac-Buttis*; quintum Sancti Hieronymi; sextum Sancti Ioanni Baptiste in *Campo de Arcu*. De quo monasterio ac templo haec non praeterenda reor, quae

Mirtius praebet in *Chron.* (2):

« Quo loci Sanctissimus Patriarcha Benedictus ad sedandum murmur monachorum, qui in tribus montium monasteriis commorabantur, et aquae penuria laborabant, assiduis importunisque permotus postulationibus, cum noctu eo perrexisset. Deum attenta oratione deprecatus aquam e montis rupe subito profluentem mirifice impetravit ». Tum haec addit in nota, quae corona sunt facti, et quasi fastigium: « SS<sup>m</sup>. P.<sup>cham</sup> Nuñ. Benedictum iuxta monasterium S. Ioannis Baptiste fontem a Deo precibus impetrasse, ultra maiorum nostrorum traditionem, accedit ad testimonium sacri specus pictura, nomen titulumque loci demonstrans. His addam et alium

non spernendum testem, sincerae fidei, loci eremitam, qui hac mea aetate cum, pro veneratione, fontalem hinc illucque aquam dilabentem in strutili vase colligere curaret, coepit subterraneas fontis venas rimando pvestigare. Porro ad id operis executionem necesse fuit ingentem humi acervum effodere. Scaturigo quippe Benedictini fontis ob nimiam temporum diuturnitatem (annos supra mille et circiter trecentos) cooperata terra dumis frutetisque obsita exstebat. In ea itaque fontis investigatione dum rimas profundius inquireret eremita, tres reperit petras, quarum divus meminit Gregorius (qui annis DLXXIII, DCIV scribat, testis de visu et de mora, neque ambulatorius, neque fortuitus, neque peregrinus), non eo, quo serpsit, positas ordine super invicem, sed inferiore in plano collacatam solo, cui duae aliae superimpositae petrae, quasi in modum cunei erectae, et combinatae (*sic*) stabant. Utrum vero haec sint, aut fuerint, quas SS<sup>m</sup>us Pater pro signo suis manibus posuerit, non ausim affirmare, et ab annis mille atque amplius centum – (Mirtius

(1) Cfr. num. sup.

(2) Cap. V, 51.


ad annum usque MDCXXXII plus minusque vixisse fertur) – usque ad hoc nostrum saeculum intactae ibidem permanerint, non ausim affirmare.... Ceterum fontis illius aqua tantae est salubritatis, qua salubriorem vix alibi reperiri crediderim; eo quod ad supplications SS.<sup>1</sup> Patriarchae fuerit divinitus concessa. Cuius divinam propemodum virtutem febri assidua laborans, sanguinisque fluxum patiens, paeneque moribundus (ad Dei optimi laudem dico), ipse met expertus sum ».

Septimum ex coenobiis aedificatum fuit eo in loco, qui tunc « Vinea Columbaria », dicebatur, in exigua planicie supra laci ripam, et Saneto Clementi Pontifici et Martyri dieatum; hic pulchra fuisse narrantur opere marmoreo pavimenta tum quadrato, tum texellato; frequentior hic Patriarchae mora; hic hortus arboribus pomiferis consitus, hic plura patrata miracula, hic ad Benedictum venisse et cum

Quorsum haec tam acuto stylo sequuntur? Ut sciamus quid Benedicto simul, quid Sublacensi regioni debeamus. Non enim unumquodque coenobium minus XII viros doctos habebat, quibus ita divisus dies, ut octo horas impenderent psalmis precibusque, octo in transcribendis libris, quibus latinorum temporum divitiae in posteros defluerent, ac turbulentissimorum annorum praeter procellas fluctusque veherentur incolumes, octo reliquias ut somni, cibi potusque necessitatibus satisficeret. Super hos asceterium habebat et tirones, monachos, qui terrae colenda, qui moliendis calce, ferro, ligno, scalpro operam navarent, et ceteris artibus. Quapropter Benedictinorum Sublacensium opere, quidquid grande, singulare, egregium latini scriptores ab Ennio, ad Catonem, Varonem, Gallum, Claudium Augustum, et ultimos Claudianos ediderunt, integrum et incolume ad nos pervenisset, qui vix decimam nunc horum partem habemus. Cur ergo non pervenit? Quia effera Longobardorum gens, ipsa beluina immanitate ferocior, ex ultimis Europae finibus in Italas properabat oras, non ut quasi turbo percurreret, non ut in incolas dominaretur, sed ut omnia raperet, omnia incenderet, omnia occideret, locusque esset sibi occupandi sedes, quas mors et incendium vacuas fecissent. Hisce a terrimis furiis, satis numquam execratis et execrandis, omnia ad unum sanctae vallis coenobia, expilata, incensa sunt, praeter ea quae monachorum sanguis supereffusus late restinxerat; at haec post eadem diruta, subversa. Hinc tanto labore divitiae, scientia, artes perierte, a Sublacensibus, inquam, Benedictinis congregatae, qui non modo in Sublacensibus coenobiis, sed in sexcentis aliis, exstabant. Nam super montibus Aequicolis, Marsis, Pelignis, Vestinis, Sabinis, in vallibus, in agris, in collibus Carseolanis, Sublacensi regioni vel proximis vel finitimis, Benedictina diligentia, industria, gratia, sedulitas, beneficentia, pietas aut asceteria exerat, aut acceperat, et magna cum laude possidebat.

Quanta autem clades, quanta ruina inde fuerit vel hoc uno cognoscitur, quippe centum ac duodecim – oppida et vici – Benedictinorum Sublacensium erant. Quid ultra? Ab agris Palentinis, (hi ad Scureulam in Marsis inter Advetianum ac Talleacotum sunt), usque ad mare Tyrrhenum inter ostia Tiberis et Circium, perpetuus fundus Benedictinus reperiebatur, in quo monasteria, asceteria, coenobia, hospitia, diversoria, quae *Grancias* nominabant, frequentissima numerabantur. Haec omnia, usta, subversa, in cineres, et solitudines Longobardorum rabie redacta sunt!

Atque ex hisce nonnulla in ruinis saeculo integro iaceuerunt, prouti monasterium Specuense et Sanctae Scholasticae; plura trecentis, et quingentis ferme annis, plurima numquam ex clade



Cavedium et porticus monasterii Sanctae Scholasticae, Sublac.

eo discubuisse Aequitius, Tertullus, Gallicanus, Vitalianus, Dolabella, Gordianus, Boetius Severinus ac Symmacus. Pone hunc hortum, egregius arte, aedificio, pons a palatio Neronis, laeva ex parte lacus ad dexteram Thaleii montis pendicem, ferebat. Ex huius palatii ruinis, ac templi, erutae porphyreticae columnae et candida marmora, et ad ornandum Sanctae Scholasticae templum et coenobium adducta.

Octavum est, Sancti Blasii iam inde exsistens, fortasse Basilianis incolentibus Monachis, uti Vicovariense Sanctorum Cosmae et Damiani asceteria, et solitudo, in quod accitus Patriarcha fuit, et insidiis venenati calicis quae situs ad mortem. Nonum Saneto Michaeli Archangelo dicavit; decimum Victorino Martyri ad radices montis Porcarii; undecimum Genitnam versus, cui « vita aeterna » nomen; duodecimum denique Saneto Andreae Apostolo dicatum est, ad fines Sublacensis abbatiae in agro Carseolano, prope castrum cui nomen italicum *Rocca di Botte*, scilicet « Arx Buttis », quippe Buttis, Cotys Regis Thracum filius, cum obsidibus Carseolos est missus.


illa rursus excitata sunt, bona fundosque invadentibus Longobardis praedonibus, velamen latrocinii habentes nomen dynastae, quibus postea iure belli Franchi successerunt, inde alii super atque alii, quasi, quod pius nolo scribere, sagientes ostendere. At ubi Sublacensia illa duo lumina revixerunt, iidem in eis labores ad asservandum quod nobis latinum superest, iidem hominum virorumque adventus, ita ut a Gregorio Magno ad Pium IX Pontificem, ab Imperatore Augusto Ottone III (nisi Otto et Carolus, Magni utrique gestis et cognomento, praeiverint) ad Augustum Petrum de Alcantara Brasilianum, rari sint, qui Romam adventantes Sublacensia monasteria non inviserint. Iamque ego nescio utrum a Giotto ad Fracassinius pictor, sculptor, immo optimarum artium studiorumque cultor exstiterit tum ex alienigenis tum ex nostratis, qui Romae moratus vel Tibure, Sublacum non visitaverit. Tot enim ibi sunt Musarum thesauri, quot regiones, quot agri, quot saxa. Quinimo praeli artem, qua mobilibus characteribus nunc libri scribuntur, non Gutfemberghiana manus, sed manus monachorum primum in archicoenobio Sanctae Scholastiae, ipso ab exordio rei, in Italia exercenerunt; cuius quidem facti impressi, quot illic servantur aetatis eius libri sunt testes, prout clarus vir Leo Allodi, in proemio ad *Chron. Mirtii*, tuerit.

Tanta autem prospectuum varietas, et ita oculis blandiuntur aquis, agro, rupibus, caelo, arboribus, cavernis, montibus omnia, ut fruentibus oculis conspecti, lingua narrari non possint. Quid pulchrius quovis spatio loci ab urbe ad specum, ad lacum loca prope flumen, prope montes? Quid grandius aspero loco illo ad scenae morem natura conflato, rupibus hinc inde eminentibus instar dentium, ad dimidium circuli, qui habetur ubi per Gregorianam viam sinistrorum divertas paucis post passibus ab « icona Salvatoris », ferme sub aedicula Deiparae, cui nomen a febre, Boream versus in imo torrentis? Atqui vidi ego pictores festinantes accurrere ubi torrens, aestivo diluvio, per ruinas illas cecidisset. Et vidi Croesum quemdam anglicum, aut americanum, tribus Romanis pictibus pretio conductis restaurantem tabulis pictis Caligulanos, Claudianos, Neronianos laetus, et aquarum specie suscepta a Nemorensi, ut idem esset horror a silvis profundo fluctui, circa referre Neronis palatia, Augusteum scalum piscatorium, silvas laureas, columnas marmoreas, pontes, et aquarum casus praecipites a lacu in lacum. Quae quidem illi mirabiliter effecerunt; at homo, pervicax omnino, voluit ut Sancti Mauri prope pontem aedicula teres, Sanctae Scholastiae et Speus coenobia pariter, magna temporum discordia (« anacronismum » dicunt) cum turribus campanariis, cruce dominante, pinguerentur!; et querebatur non posse

coloribus exprimi organorum sonus et cantus monachorum psallentium noctu more illo Benedictino solemnii et lento!...

Vis denique scire quot monachi inhabitarent singula Benedictina asceteria?... Huius rei mihi auctor est Theodosius De Vecchi, nobilis vir, et eruditione penitus immensa praeditus, duratque facti traditio adhuc in populis. Quum Atto ex Marsorum Comitibus, ecclesia Carseolana ad Cellas in episcopium suum edita, Natalis Domini solemnia solemnissimamente celebrare nocte voluisse, a Benedictino abbate Sancti Equitii, vel Oritii, (coenobium hoc erat in vertice montis supra Arcem Buttis), petiit ut quot posset monachos mitteret. Abbas epistolam misit et cum ea quadringentos monachos tantum, excusans se quod plures mittere non potuisset; nam et sacra celebrare, canere, facere in coenobio deberet, et plurimos mittere per vias longe ad excitandos et alendos ignes, quibus devoti

nem carum facies: sunt enim maiores insulae viginti quatuor, sunt permultae minores. Aer mitior quam plerumque in Graecia, aquis scafet passim terra, at flumina vix per maximas earum discurrent. Cives lignis ad ignem atque ad casas extruendas utentes sylvas paene abraserunt, quae alias viguerent per insulas optima specie et densissima umbra. Cultura terrarum varia; at vites et gramina abundant magis fructibus, quinimmo, in iis praesertim quae ad meridiem spectant, pecudes opima pascua inveniunt. Populus per insulas frequentior est quam ipsa in Graecia, atque passim Veneto sanguine ortus. Veneti enim, post crucis bellum saeculo XIII oriente peractum, multos harum insularum portus occupavere atque dominati sunt.




Montes Andae, qui Americam meridionalem omnem dominantur, sunt pariter nuper recogniti.

Inde coniectum est eos patere in latitudinem saepe ad ducenta vel trecenta millia passuum. Iuga enim eorum duplia satis apparent, quae gemino cursu e septentrione ad meridiem concurrunt, quorum altissima cacumina occidentali regioni imminent. Inter iuga utraque planities et valles intercedunt, et montes quoque transverso culmine eminent. Montium vertices plures bis millibus metris tolluntur, ut Tronador, ut S. Laurentii vertex, et S. Valentini, et Aconcagua, qui inter altissima montis culmina recensetur, quippe ad sexcentum supra septem millia metrorum altitudine effertur. Ceterum montium adspectus pulcherimus quidem, atque varius, quandoque horridus, quandoque etiam amoenus, sublimis semper. Laeibus insuper permultis, tamquam interiectis gemmis, alpes haec vallesque coruscant, quorum maximus Buenos Aires, ducenta circiter millia passuum in latitudinem patet; Nahuelhuapi autem pulcherrimus, quem sequuntur alii viatorum illustrium nomine plerumque donati, Nansen, Lapparent, Steffen, Burmeister. In vallis illuc latissimis mitis semper aer aptusque Europaeis gentibus; unde coloniae ibi plurimae, ita ut earum regionum dominium Chilensis atque Argentinus populus, ut notum est, in praesens sibi adrogent. Etsi vero plurimae iis in locis regiones persuleatae exploratorum diligentia fuerint, permulta tamen adhuc ignota manent.



Descriptio Aegypti, licet regionem Europaei passim atque diu peragraverint, nondum est tamen undique perfecta. Abhinc annos paucos, qui publicis laboribus illic praefectus est vir graphica edidit descriptione Nili fluminis vallem; at desertam regionem, quae post illam patet, perpauci hactenus viderunt. Atqui recens Germanus investigator Schweinfurth, regum, quae dicitur, vallem percurrit, ubi Thebani re-



Ecclesiae, supra « Sacrum Specus » Sublacense, prospectus interior.

adventantes noctu e pluribus vicis calefierent, lupique arecerentur flammis ac terrorentur. Et quidem monasterii illius reliquiae, rudera, urbis potius quam monasterii vestigia sunt! Credite narranti quae vidit.

SENIOR.

## GEOGRAPHICAE RES

Exploratae nuper regiones (1).

**N**ON tantum ignotas omnino per terras doctorum inquisitiones exerceantur assidue, sed per notas quoque peraguntur, ut multae earum latebrae adhuc parum perspectae, illucescent. In his Cyclades insulae recolenda, quae summa ab antiquitate clarae, haud fuerant tamen tam sedula diligentia investigatae, ut modo fecit Alafridus Philippson in Bonnensi athenaeo terrarum disciplinae lector, qui librum de re edidit. Ad novem super viginti millia metrorum patet in latitudi-

(1) Cfr. scriptum dris. HENRICI DEHERAIN in gallico comm. *Revue générale des sciences* (id Ian. MCMIT), atque italicum comm. *Minerva* (an. XII, vol. XXII, n. 12).

ges sepulti sunt, inter Nili fluminis ripam atque montes, qui Resegat et Farscint locis ex adverso imminent.

Quorum ad radices, contra meridiem, oppidumque Esné dictum, specum ille adinvexit hand magnum quidem, cuius in parietibus sive coptis, sive graecis litteris inscripta erant nomina plurimorum visitantium, qui antiquitus locum adierant, quorum aliis Latopolis urbis archipresbyterum sese vocat, aliis poenitentem hominem sese adserit, aliis humilem Dei Servum protestatur. Quae cum perlegisset Schweinfurth suspicatus est illue forte confugisse christicolas, qui Latopolim urbem, furente saeulo III<sup>o</sup> persecutorum rabie, dereliquerent; ita ut deinde sequentia per saecula piae peregrinationi meta specus constitueretur.



Ruvensori mons, inter Albertum Eduardum atque Albertum laeum, insolita facie, – nam ipso in equinoctiali torrido circulo nivales campos et glacialis iuga extollit in auras, – doctorum investigationes ad se trahit; quae quidem plures fient cum ex Mombasa ad Port-Florence ferreos per tramites vehes circa Victoria lacum discurrent, cumque lacum hunc naves undique vapore actae persulcabunt. Interea vero audaces advenae eius per latera reptant. Stanley anno MDCCCLXXXIV illum recognovit, sequenti anno Stairs ascendit, deinde Stuhlmann et Scott Elliot, et Moore an. MDCCCC, qui ab oriente vidit Ruvensori tribus montibus constare, et centum supra chilometra produci; at vidit pariter impervium esse ad altissimum culmen ascendere. Ultimus accessit eodem anno Harry Johnston, Uganda regionis hodierius rector, qui cum ad Congo finitiam rem publicam iter faceret, culmen montis arripere conatus est. Attamen cum ad quatuor millia usque passum altitudinem ascendisset, in rupem occurrit altissimam ac nudam, quam superare nequivit. Itaque cum duobus suis comitibus reversus est per glacies, inter nivalis procellae turbines atque pluvias rigidissimas. Stat igitur mons quasi aquei vaporis pollens densator fervidis in regionibus atque aridissimis constitutus, unde soluta glacie effluunt per latera rivi, in Nilum recto aut indirecto tramite influentes. Quare Lunares illi montes, (hoc enim nomine antiquitus Ruvensori cognitus erat), etsi non unicam fontem flumini illi praebant, prout antiqui γεωγράφοι putabant, eius tamen ad ditandos fluctus uberem operam conferunt.

A. COSTAGGINI.

## HORAE SUBSECIVAE

MAXIMILIANO FRANZINIO

DE SEMINARIO VATICANO OPTIME MERITO  
AUSPICANTI SACERDOTII ANNUM L.  
DIE SACA CHRISTO RESURGENTI.

Cum tu Mystra norus scandebas laetus ad aram,  
Tum Domini tristis lux patientis erat.  
Altera cum rediit, lustris bis quinque peractis,  
Alma resurgentis lux erat illa Dei.  
Laetari haec docuit; Christi docet altera poenas;  
Vixisti vitam doctus utramque vicem.  
Tertia lux quid habet, lustris ter quinque peractis,  
Quod fera? Ista volet serius ustra petas.

F. PELLEGRINI.

SACERDOTI NOVENSILI  
SACRARUM LITTERARUM CODICES DONANS.

Accipe dona lubens, sunt haec oracula summi  
Numinis aeternis scripta voluminibus.  
Divini cupide repeatas hinc dogmata veri,  
Hinc discas sancti iura ministerii.  
Hacc animo rovas, populoque haec usque loquaris,  
Hinc populo, hinc venient gaudia summa tibi.

JOSEPHUS SOLA.

## TABACI CASUS ET VICES.

**V**IR clarissimus Penn nomine, civibus suis, qui in Americana nordica regione sunt, librum nuperrime edidit, cui titulus *The Sovereign Herb*, scilicet « Herba Reginae ». Tabaci casus in illo continentur, et non mediocri diligentia narrantur. Iure quidem; haec enim herba communem in usum penes omnes orbis populos venit, et quotidie decrescit phalanx, quae sive ore, sive naso non fruatur hoc *negotio in otiosis*, hoc *otio in negotiis*.

At librum sequamur festive quidem et iucunde scriptum, multaque cum Venere et littorio lepore. Quotquot sunt gentes, ab initio rerum humanarum ad nos, omnes aëre libentius et luce quam fumo carere potuerunt. Quid refert fumi diversitas? Parum interest utrum ex incenso, ex farre, ex adipe ovium, bovinumque, aut ex combustis herbis, mirra, aloë, balsamo et similibus fumus processerit. Satis est processisse semper, semper hominum nares afflasse, et quantumvis inimicum oculis, semper tamen in delubris, in sacellis, in aris, in propatulo, in oppidorum plateis, non minus quam in speluncis et lucis de industria et religione magna provocatum. Lepidumne in re gravissima quaeres? Dabo. Quod intolerabile oculis, quod mortiferum pulmonibus respirantibus homines experiebantur, hoc posse Deos reconciliare, placare, iuvare rebantur, quinimo et pro beneficiis acceptis hoc se posse gratias referre Diis arbitrabantur.

Hisce praenotatis, quae vera simul et explorata sunt, ubi dixit omnes gentes omni aevo versatas (verbâ ad unguem refero) in quadam fumi nube atra, densa, teterrima instar exosae Stygiae paludis, indicat nuperrimis trecentis annis ab Americanis regionibus in omnes orbis terrarum gentes tum cultas, tum barbaras immanem congeriem, sarcinas foliorum tabaci innumerabiles demigrasse delatas. Nondum sibi philosophum nactus est fumus tot inter eruditos et vates, nondum poetam, prout in Carlyle sibi vestes vindicarunt; nihil tamen secius nemo inficiabitur trientem humani generis fumo ex tabaco indulgere, ac tantummodo in Europa pueros et feminas, quotquot ex Anglosaxone progenie sunt, a fumo illo abstinere. Neque tamen singuli fumo iisdem ritibus potiuntur a nos; sunt enim (praecepui nigritoae de Luzon, ac plures Kaffir tribus, tum Anglo-Indici quamplures), qui convoluta folia tabaci, non ore tenent ea parte qua extineta sunt, sed illa, qua ardent, putantque se magnum quid ostendere, et salubriorem ducere fumum, quia nicotianum venenum in foliis nondum incensis non deponit. Esto! deponet in lingua, in palatu, in dentibus.

At historiam sequamur. Primo saeculo, scilicet quo Nicot medicus in Parisiensem regiam

tabacum induxit, regina invante, « herba Reginae » dictum tabacum fuit. Quia

*Regis ad exemplum totus componitur orbis*,

, ab anno 1550 ad annum plus minusve 1680, Catharinæ Mediceæ Francorum reginae morem aulici primo, mox optimates, denique totius turba populi sequuti sunt. Mos a Gallia in reliquam Europam citius dicto manavit, eoque crevit abusus, ut Pontifices Summi in Romanis basilicis, in cathedralibus templis Episcopi et Patriarchæ censuris latis et vel excommunicatione impedirent quominus in illis e clero quis vel naribus nicotiano pulvere frueretur. Interca reges, dynastæ, quotquot opibus florebant, ubi gratum alicui facere vellent, hunc aurea, hunc gemmata, hunc affabre caelata theca ad nicotianum pulverem penes habendum donabant. Et proh! quali quantaque industria opus exactum huinsmodi, quod olim vidi, ipse qui scribo, ita ut ultra X libell. mill. pretium eius haberetur! Munuscula haec, haec donaria puellis, matronis pro armillis et fibulis et annulis; ducibus, viris, nobilibus, bene funetis opere credito, pro equestris ordinis insignibus impertiebantur.

Crescebat itaque nicotiana huius herbae in dies honor, usus cum fama crescebat, eoque ventum erat, ut illud Ovidii dici de ea posset:

*Vix facile invenies multis in milibus unum,  
Qui a fronde hac potuit continuuisse manus.*

Sed nihil aeternum terris; ideoque, XVII labente saeculo, triste incubuit tabaco fatum; et primum negligi, dein despici coepit, eoque progressi sunt homines ut, si quem infamia notare vellent, de eo dicerent « Fumo tabaci inservit », seu pressius « fumator est »; passimque esset in opinione omnium, iugisque haec omnium sermone percrebaseret, carnificum, satellitis tantum esse fumo indulgere. Quod quidem non sine quadam benevolentia nunquam accidisse reor summa, namque tabaci favor tetigerat, et

*Lapsus post apicem; stat sua cuique dies.*

Favorne? Furor potius, et insana quaedam rabies, quae secum aliquid dementiae permixtum ferebat. Quippe magistri praeceptoresque de arte fumandi passim erant; unusquisque peculiari utebatur ratione, quam et propriam vindicabat, et rostro et unguibus praestantissimam tuebatur; nemini ad optimae, immo ad eiusvis societatis et mulierum hominumque conventum frequentandum potestas erat, nisi tabaco se deditum ostenderet, sive pulveris nicotiani thecam praeferret, sive convoluta folia, sive nicoturum, e pera monstraret. Aspirandi fumi scientia erat ac disciplina; alia enim domi, alia in curru, alia in viis, alia in coetibus, alia in theatro utebantur, et coram praeceptore, coram magistro cirrati adolescentes et compti haud aliter ac puellæ et matres, coram speculo, coram amicis semet exercebant, ut gratia inesset ori adspiranti, labiis exspirantibus, signa quaedam subessent, quibus amatoria verba præsertim significarentur cui vellent, abderentur, quibus nolent illa monstrare. Quid communis tunc fumus? quid nobilis? Principes feminae Shakespearii fabulas in theatro audiebant, atque e nicoturiis fumi nubes perpetuae ascendeant.

Quem morem ipse indicate

scriptor, indicant Johnson, Deker, Marlowe, Beaumont et Fletcher prae reliquis.

At cuinam veniet in mentem quod subiiciam? Publicae institutionis ars fumandi pars erat. Pueris mane in scholas abeuntibus matres non minus tabaci foliis, thecis, et nicoturiis ornatos, armatos (cum Iustiniano Augusto loquar) mittebant, quam libris, atramentario, chartis et calamo; quin etiam, — horresco referens!... — prius de tabaco cogitabant, postea de ientaculo et libris! Certa hora in schola libri, chartae, calami deponebantur, praecoptore exemplum praebente et vel iubente; nicoturia, convoluta tabaci expromebantur e bulgis, frondibus laudatis replebantur, atque ex chalybe et silice favillis excussis, esca igniculi recipiebantur; nec mora, omnia fumo nigrescebant. Si minus quis vivax, gratiosus, iucundus, si quis videtur segniter vel minus commode fumum accipere, reddere, hunc magister gravi supercilie monebat, docebatque, et, ubi opus esset, increpabat, puniebat. Quid plura? Medici, medici, inquam, ipsi de tabaco miracula decantabant, quod arceret febres, contagia, pestesque dissiparet, languentes reficeret, morbos minueret, ulcera, plaga, vulnera sanaret, iam iam dicam, sibi devotos aere alieno liberaret. Post hasce, uti narravi, insanias provide in odium optimatum cecidit; vix lictoribus, satellitibus, militibus relictus est. At Napoleonis I bellis flagrantibus, iterum a militibus per duces et optimates coepit in honorem redire, Napoleone III Augusto — dabat enim ipse Caesar exemplum — iterum visus increscere. Nostris diebus apud plures ferme valet, praesertim apud pueros et adolescentulos, qui eo utentes quasi aliquid virile sibi credunt induere. Eone redibimus unde dgressi? Difficile est humanae amentiae imponere limites: ego improbo abusum, temperantiam nedum in tabaco, sed vel in virtute laudabo.

P. ALEXIS.

## COMMUNIA VITAE

### Nostra res.

**I**AM ab inde, quo Caprarola deveni(1) et Urbis aeternae consuetudine potitus sum, nec in me Forfex, nec in eum umquam et usquam incidi. Amicum ab amico plurima distrahebant negotia, quae, nobis absentibus, pacifice obdormiverant tum de re familiari, tum de studiis, quae colimus, partim animo agente in optata, partim obeunda munere credito. Me autem Caprarolenses aquae, ipso salientes in oppido, refecerant, recrearant, ita ut gravi liberatus incommodo, quo angebar, (« phlogosim » hoc medicus appellarat sapientia gravis et superciliosus ad nomen usque promendum non ad remedia congrua suppeditanda), gravi, inquam, liberatus incommodo ferme in adolescentiae vigorem atque laetitiam mihi redisse videbar. Anne et haec erat causa, qua in Forficem numquam inciderem? Suspicio; quippe in Urbe vagabar, ut moras exparem, quibus fueram damnatus.

Atque hic lectores meos moneam, ut, si quando visceribus aegrotent, quod absit, Caprarolam adeant, atque fontibus urbanis illis potiantur. Vina ibi sunt optima, optimorumque species fructuum, gratissimus in pane sapor, in hortensibus herbis, in obsoniis, purissimus aer, at super omne, quod optimum et gravissimum et purissimum sit, aquarum eius excellentia eminet, effertur. Lando suavem incolarum indolem,

(1) Cfr. an. IV, n. XIX et seq.: « Latinitati utile recens, vaporitrahā rapiente, iter ».

laudo, memor suavissimae urbanitatis, Nicolai, Perginii, Ferrarinum, laudo latinitatis nostrae amatorum eximium illi a me repertum, laudabo omnes et singulos singulis atque omnibus lectoribus Commentarii huius, at virtutem fontium illarum, ineffabilem, quoadusque vivam numquam satis commendabo sanis ut vigeant ac valeant, aegrotis autem ut convalescant. Quinimo in hisce paginis, atque hoc sub titulo narrabo novi generis festum diem, qui illi quotannis nomine *Solis in Leone* celebratur, tantaque frequentia, ut omnes tune ex oppido viri demigrasse putentur, in campestri enim et suburbana silva peragitur absentibus omnino feminis; octavo autem a festo die, solemnitas eadem est mulieribus, sive matronae, sive puellae sint, iisque ita propria et sacra, ut quivis ab ea vir excludatur. Sed haec alias, et ad sua tempora pertinebunt.

Prouti interdum contigit neque cogitantibus neque potentibus, Forfex in me, ego in illum incurro. Quid dixi incurro? Iuxta Tiberina fluenta praeparabat photographica nonnulla:

— O qui flosculus es, — inquit, — tune Forfex? Tamdiu aspectu carui tuo, ut paene incertus nunc sim, haerreamque suspensus. Valesne? Immo video te optime; at de filio filiabusque tuis, de uxore quid nuncias?

Ille ad me: — Et valeo, ut vides et iudicas, et mei, de quibus interrogasti me, valent, vigent, florent.

— Bene sit, — addo ego; — sed quid agis cum his cachinnis praefanibus, et in illis totus?

— Vitro figuram commando Urbis nostrae, ob novos muros hinc inde ad Tiberim surgentes, saecularem effigiem amittentis. Ceterum cum hodie opus meum iucundum absolutum sit, men sequeris, ad mea revertentem, illic mecum, pransurus?

— Idque non invitus — respondi; — scio enim te delicatum esse gustu, penes quem et opipara multa, et copiosa, et, quod rei caput est, neque officii, neque urbanitatis causa, sed, iubente animo, amicis oblata.

Dum ergo lenti abimus, en post vitra kaffeariae officinae pendentia videmus folia, quibus tituli ephemeredum erant ad commodum praeterreuntium aperta. Curiosi rerum et nostrarum et alienarum accedimus...

— Proh stupor! Adeone, — exclamo legens, — latinitatis ardent faces, ut ad haec iam ventum sit?

Stupere mecum Forfex; simul ambobus ista patabant:

« Amico Carissimo X. Y. salutem plurimam dicit. Percontaris quo latino nomine appellandae sint ephemeredes, et quae iuxta? Dicam, teque non medioriter admiratione percussa affirmans, probansque falso proxima, quae fuerunt saecula, gloriari circa ephemeredes, quasi rem novam gentibus induxissent. Duo circiter annorum ante nos millia ista viderunt non modo, sed et sua uniuersa res erat; erant autem amanuenses, qui vel servili, vel conductu dextera paginas describant mittendas ab Urbe in provincias. Attende. Caecilius Rufus, equestris ordinis vir, notitiarias epistolas ad Ciceronem, proconsulatum in Cilicia gerentem mittebat; notitiis autem fatetur se accipere a quotidianis « rerum urbanarum Commentariis ». At quid in his commentariis? Erant Senatus-consulta, erant edicta nova, lataeque leges; erant iudicium sententiae; erant responsa prudentum; erant oratorum perorationes in foro; erant denique « fabulae et rumores », quasi eadem, quae nunc sunt apud nos « chronica ». Insuper, Iulio Caesare dictatore commentariorum huiusmodi magnus numerus fuit, atque hi distinguebant nominibus. Tene haec: « Diurna populi Romani. — Diurna Urbis acta — Diurna actorum scriptura — Acta diurna — Diurna — Diurni rerum Urbanarum commentarii — Acta urbana — Acta rerum urbanarum — Urbis acta — Publica Acta — Acta ». Vides igitur nomina, vides appellationes, videbis ergo, aut saltem coniectabis ex nominibus, quod in hisce contineretur; nempe quid iudicatum esset capitale in foro, quae supplicia sonantes pertulissent, quae fuissent lites actae, qui ex patriciis nova progenie laetarentur, quae nuptiae, quae funera, sacrificia solemnia, vota publice soluta, rumores de bello, quod gerebatur, praelitorum causus vicesque, incendia, inundationes, viriliter patrata; denique quidquid agerent homines; idque ita probatum est, ut ipse Suetonius dicat se in Actis reperi-

isse natalem Tiberii diem, reperisse locum, ubi Canigula natus erat. Itaque concludes non modo haec acta, haec diurna, haec diaria, et, si placeat, haec quotidiana haberet, sed et servari apud ditissimorum bibliothecas patriciorum, servari in archivis tum privatis, tum publicis. Idque micabit vehementius si Taciti illius historici auctoritatem induixeris; hic enim pluries ait se quaevisse acta huiusmodi, unde quotidianas notitias temporis, de quo loquebatur, hauriret. Scimus et fuisse sacerdotum collegia, qui quotidiana notatu digniora referrent in scriptis. Circa stylum autem diurnorum horum, credo fidem habendam esse indoli Romanae, minime verbosae, fidemque habendam Petronio Arbitro, lepide inducenti coram convivis « actuarium » Trimalcionis, legentem brevibus compressa verbis, quae illo die familiarem rem attingebant, scilicet quod nati ex ancillis essent servi, quod ex armentis capita divindita, et quo pretio essent, quod frumenti modia, in quos animadversum fuisse supplicio servos; idque fatetur compositum « tamquam Urbis acta ». Et, quoniam eo tempore eaedem cupiditates, quae nunc, negotia, plus minusve, eadem quae nunc, agebant homines, quibus et cura camporum, et pecuniae sollicitudo cordi erat, non video causam, qua cum Actis illis etiam reliqua, quae sunt nunc, adiungere non debeamus. Erant itaque Acta militaria, Acta bellica, Acta mercatura, Acta ad pecuniam, ad frumenta, et similia. Quid si essent Diurna ac Diaria pro nobilibus feminis, et pro iis, quae pulchritudinis, quae scientiae, aut alia quavis fama pollebant, sive litteris, sive musica, sive ingenio quibuslibet artibus exercerentur atque inclarescerent? »

At iam lectureae finis. Cum repente ego Forfici meo:

— Nonne vides hic Horatium?

Et ille: — Ubinam furcifer est? Non video. Tunc ego gravissimus: —

..... *Amphora coepit  
Institui; currante rota cur urceus exit?*

Nonne vides? Prandum institueramus, et nunc exit latinitatis diurnistarum.

— Habeas prandum, — respondet Forfex mecum iniens viam, — immo habeamus; non tamen negaveris recte ac bene scripsisse, qui haec edidit.

— Concedam, — aio; — sed melius, rectiusque faciemus nos, qui edemus.

Ergo abimus pede maturante, laetique discumbimus, tum quia omnia parata opipare erant, tum quia dum inter nos nomina agitamus hic scripta, dicimusque ephemeredum scriptores brevius vocari posse « diurnistas, diurnarios, actuarios », et similia, ancilla, quae mensae argumentosa et negotiosa adstabat, suspicionis plena audiebat colloquentes, et saepius: — Domine, quid vis?, quid iubes?, vocasti ne me? praeusto sum; — respondebat; risus causa non levis utrique.

H. DE VECCHI PIERALICE.

## SOCIORUM ANIMADVERSIONES

De « Novae stellae » cursu.

QUONIAM de stella « Nova » in Persei sidere nostro in Commentario a el. v. M. Lani scriptum est, (1) operaе pretium mihi videtur revocare astrum, quod tempore Caroli V Augusti celeberrimum fuit, quodque apud nonnullos nomen cometæ, apud nonnullos autem stellæ nomen adeptum est; iure utrumque; nam astronomiae annales, et opera astronomorum, qui recensentur, percontatus, haec hausit.

Fabricius anno MDLVI rite speculatorus impensis, post hunc sexenti mirabilia de re retulerunt; tale enim fuit astrum, ut Secchius ipse et Flammarion (prouti omnis astronomicarum scriptor rerum) sine nota et animadversione vel temporibus nostris non praeterierint. Pluribus, ut dixi, astrum fuit, cometes pluribus;

(1) Cfr. huius anni n. VI.

argumenta militabant hinc inde. Fulgebat enim supra modum cornuta et ferme scintillans; dimidium lunaris orbis, siqua oculis fides, apparenti magnitudine aequabat; modo neque comata, neque barbata, neque caudata apparabat, modo tutulum praeferebat ad horam; fulgor perpetuus. Adde modo quod discus omnis coruscans aestuare quasi fluctibus rutilantibus apparebat, nudis quamvis oculis atque inermibus, et, facis instar abeuntis, ducere flamas haud aliter ac si infinito flagraret incendio. Maximus terror pervasit gentes, quinimo et ipse Carolus V dixisse fertur: « His ergo indicis mea fata vocant ». Quapropter aut inde consilium iniit de imperio deponendo, et de coenobio adeundo, aut saltem, quasi mortis nuncio permotus, maturavit quae animo versabat, paucosque post menses fecit ut voverat.

Halley, Newtonii et amicus et consors magna in laude rerum caelestium, de itinere astri huius, vel cometae, (cometam immo dicere placuit), plura descriptis; quam viam cum inquireret, invenit anno MCCLXIV eadem in caelo fuisse lumina, statuitque orbem illius confici intra CCLXXXII annos; hinc anno MDCCXLVIII redditaram. Frustra tamen exspectarunt gentes; quapropter mihi suspicio de origine illius communi « Noyae » stellae, quae nunc fulget in Perseo, et a Perseo abit celeritate lucis. Quod demum? Exspecto.

P. R.

## ANNALES

Danorum feriae — Belgica seditio — Iberici motus — Boerorum Anglorumque agitata pax — Sinensium minae novissimae.

DANI perquam solemnia bis diebus habuere. Rex enim eorum Christianus quartum iam supra octagesimum aetatis annum explevit. Quapropter familiaribus feriis, quas ipse cum suis regalibus in aedibus habuit, populares additae sunt, eaeque sponte prorsus ab omni ordine civium; utrinque vero simplicitate atque modestia omnia redoluere, quae virtus profecto vestito regi carissima fuit prae ceteris semper. Vocatur Christianus ille totius Europae soerus, idque pleno iure, quia filiae eius Europae regibus omnes nuperunt. Aderant illae itaque paterno natali die redeunte laetissimae Russorum Caesaris mater, Anglorum regina, Cumberlandii ducissa; aderat princeps filius Christiani, regni haeres. Russorum Caesar, Eduardus rex, Graecorum atque Suetiorum reges epistolas gratulatorias atque ditissima dona misere: digna sane longa aetate praemia, quippe quae inter reipublicae curas atque pro popularium bono ita consumpta, ut laus totius Danicae gentis seni coronato hodie concors resonet.

At Belgae maximas inter discordias vivunt. Populares factiones in id simul contendentes, ut ius suffragii ad eligendos oratores singulis civibus pateat, in seditionem tandem acerrimam commotae sunt. Eorum enim postulatis adversatus est continenter oratorum coetus omnis, quem plerumque catholica ex factione legati constituunt. Quare rabies tumultuantum in ipsam

Christi veram religionem pessime flagravit. At tamen qui reipublicae praesunt firmissime seditiones multitudini obstifere, neque siverunt umquam se a popularibus minis fleeti. Interea desertores opificiorum, portuum, nundinarum, fodinarumque ubique Belgarum, quae ditissima gens est atque commerciis maxime dedita, quasi exercitus immanis coaluit, atque non Bruxellis tantum, sed et Gandavi, et Insulis, et Caroli Regis in urbibus atque in suburbis, tamquam ad civile bellum convenit, turbamque ad octoginta usque millia hominum interdum anetam dicunt. Quare, ut primum erat, miserandum fuit per harum urbium vias civili pugna conflictari hinc opifices, inde vigilum cohortes peditum equitumque, quae statutae sunt in plateis passim, atque praesertim circa magistratum domus atque oratorum popularium curiam, ut tuta atque libera esset legum ferendarum potestas. Igitur resurgentibus aeriter plebis optata patribus, atque cruenta clade saepe seditionis turbis expulsis, oportuit eas a propositis suis tandem aliquando recedere. Praenunciant inde iam restitutam ubique pacem, resque per Belgas omnes brevi tradunt fore ut in pristinam quietem redeant.

Sed populares illi, qui « socialistae » dicuntur, commoventur pariter latius in Iberia, atque apud magistratus urgent acriter, ut leges ferantur quae Christi religionis minuant vires atque extenuent ordinum religiosorum agmina, impediante quominus praesertim adolescentium institutio pone illos adhuc sit. Id enim asserunt perdit homines libertatis triumphis quam maxime esse perniciosum, nec posse humanitatis progressus civitatem assequi, quoadusque a sodalibus Christianorum ordinum iuvenes sanctis documentis imbuantur. Res pertractatur adhuc inter Apostolicum legatum atque rei publicae ministros; sed Pontifex sui legati per verba ob iura Ecclesiae contempta vehementes protestationes edidit.

Agitantur interea faustiore quidem omne, quam umquam hactenus contigit, negotia de pace tandem aliquando ultima in Africa restituenda. Convenerunt tuto itinere ad Praetoriam urbem cum Anglorum ducibus et magistratibus Kitchener, Milner, atque Wolseley, Boerorum tribuni atque legati Botha, Dewet, Sekalkburger, Steijn, Meyer, Delarey aliisque, qui in bello diuturno sui populi duces fuere. Ignotum vero manet omnino, qui reaperte fuerint horum conventum exitus, quasque condiciones Angli obtulerint, quasque Boeri ab iisdem petierint: praenunciant tamen hos convenisse tandem ut imperii ius modo abdicarent Anglis, atque simul in suis gerendis negotiis libertate fruerentur. Dubium est vero an venia iis militibus concedatur, qui ex Anglorum colonia tamquam desertores profecti, una cum Boeris in dominos pugnavere. Modo duces omnes una cum selectis comitibus iterum reversi sunt ad suos, ex quibus, uti tradunt, per suffragia exquirunt, utrum melius videatur unicuique oblatas pacis condiciones ratas habere, an bellum prosequi usque ad imperii redintegrationem. Ceterum, etsi Boeri petiissent, ab armis mora non fuit, sed ad velitationibus quotidianis va-

riaque fortuna, ut per triennium iam assuevit, pugnatur adhuc.

Duin vero Africane res in quietem redire videntur, Sinenses iterum corruptuntur. Ad Mandehouriae enim provinciae fines conveniunt magno exercitu perduellum agmina atque cum finitimis Russis pluribus in locis commiserunt praelia, a quibus tamen male mulcati plerumque fugerunt. Verum surgere alias quoque, praesertim per Petchili provinciam, perduellum factiones et turbas maximas audivimus, easque armis et munitionibus satis instructas, quae tamen non in Europaeos sese impetum facere velle conelamarunt, at in suum regem, quem quovis pacto eiicere e solio cipiunt. Nihilominus parum fidentes rebus, qui Pekini Europaeis copiis praesunt inter se convenere atque consilia fecerunt, ut novissimis forte minis parati resisterent. Quid novi iam erit? Extremum hoc nuncium est, Germanos manuballistas octoginta millium numero atque tormenta bellica quadraginta in Sinas quam cito mittenda emisse.

POPLICOLA.

## AENIGMATA

I.

Me veteres Graeci, cum bella cruenta petebant,  
Votis consuerant rite vocare deum.  
Verte meum nomen: fio tutela fidelis  
Et clando valvas obsequiosa domus.

II.

A breve contineo: lucem do, doque calorem,  
Ae teneo: exhausto dolia signo mero.

FR. PALATA.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad commentarii moderatorem miserint intra duos menses, unus, sortitus, gratis accipiet opus, cui titulus:

DE DUPLOCI

SACRI CORPORIS DIVI SOSII

TRANSLATIONE

CARMEN HISTORICUM

A CARMELO PEZZULLO EDITUM.

Aenigmata an. V, n. V proposita his respondent:  
1) Nubes; 2) Semen, Nemesis.

Ea rite soluta miserunt:

Caiet. Destro; Th. Vignas Sch. Piar.; Asic. Tapias Navarro; Quint. Mirti Della Valle, Roma. — Herm. Gini, Taurinis aquis. — Iul. Sernatinger, Dresden. — Bern. Alcon Utiel. — A. Mesek, Travnik. — Ad. Skrzypkowski, Svinice. — Fr. Sallarés Sch. Piar, Sabadello. — Eug. Sosio, Bormio — Aug. Mager, Seccovio. — Lad. Lud. Podobinski, Cracovia. — D. Le Provost, Briocen — Guil. Schenz, Ratisbona. — Al. Battisti, Marauta. — Cam. Straschill, Villaco. — Fr. Prikryl, Katzelsdorf. — Ant. Lassota, Sutrio. — Ios. Crosatti, Poianno ad Veronam. — Aem. Crivelli, Asisio. — Am. Hudas, Gestochowa. — Alois. Rossi, Arona. — Iac. Tasset, Molomto. — C. Tranchese, S. I., Neapoli. — Ioannes Mediolanensis — Prince Gordon, Manzunio. — Ioan. Sobczyński, Kalisz. — Aug. Meroni, Asso. — Ioan. Cantono Ceva marchio, Vercellis. — Coll. Schol. Piar. Stellae. — Ad. Huza, Grybuvia. — V. Hertel, Mendhusio. — Alois. Cappelli, Senis — C. Perazzi S. L., Mangalore. — Petr. Garrone, Pezzana ad Vercellas. — Am. Robert, Marieville in Canada. — Car. Stegmüller, Sabaria. — P. G. Z. Modoetia.

Sortitus est praemium

LAD. LUD. PODOBINSKI,  
ad quem missum est opus, cui titulus:

RAPH. ELISEI

QUAESTIONES PROPERTIANAE.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.

ROMAE — Ex officina Petri Phil. Cuggiani.

# CONSTANTINI PISONI

## CANDELARUM AD SACRA OPIFICUM EXCELLENS, PRAEMIIS INSIGNE

ab anno MDCCCHI constitutum

Romae in Italia, Corso Vittorio Emanuele 127-129 et Via de' Sediari 1, 2, 3.

Vaticanicam Basili-  
cam instruit, quoties  
de Beatificatione aut  
Canonizatione so-  
lemne sit.

Clientes frequen-  
tissimi sunt in Urbe,  
in Italia et apud ex-  
teras gentes.

HMO  
Fama  
undique manavit.



Cereas faculas ad  
noctem conficit, eas-  
que ad decem usque  
ac duodecim horas  
diurnas, Ecclesiis  
ac familiis necessa-  
rias, quod pars-  
moniam cum salu-  
britate et munditie  
coniungant.

Vitreas  
faculis suppeditat.

### OPIFICII PISONI PROSPECTUS

ROMAE, Via Orti Alibert 13-15 (Lungara).

Res per omnem orbem exportatur nullo iubentium impendio

### PER ORBEM

**A**LBERTUS Probst, qui aedibus scholarum publicis Gandersheim in Germanica urbe ostiarii munere modeste perfungitur, familiares ferias, gentilicio veluti ritu, habuit, pro posse, solempnes. Dies erat, qua tandem gallina Alberti foecundissima millesimum ovum in gallinario pepererat. Quae quidem gallina!.. Domini enata atque enutrita familiarem veluti gloriam portendebat!.. Convitatis itaque ad epulas amicis et notis, placenta oblata est in mensa, eaque abnormis atque latissima centum illis ovis conflata, quae extremo tempore gallina dilectissima ediderat. Neque a mensis remota ipsa feriarum causa; quae immo, ut par erat, multis plausibus multisque concentibus inter pocula consulutata est.

gerius; at iurasse affirmant se numquam similia aggressurum.

Redimus post ridicula ad tristia, neque a Neo-Eboracensi urbe procul invenimus. Benoscoit enim fluminis Bangomain ad locum, glaciei pondera ingentia et saxa occluserunt viam. Tunc tumescentes fluctus retrorsum conversi, pontes duos e fundamentis concusserunt secumque abduxerunt, atque superatis aggeribus urbem omnem inundarunt. Saphis atque ratibus modo vix proceditur, ubi vehes, et equites, et pedites discurrebant; cives domibus captivi manent, detrimenta mercium commerciorumque latissima; nec defuit virorum caedes, qui forte in pontibus, quum illi corruerent, pertransibant.

miae iacturam ad millies centena millia libel-  
larum suppitarunt.

Nescio an Lutetienses vigiles eum ritum sibi introduxerint vel sint inducturi, quem ad arcendum aquae humorem militari quoque arti sedulo aptare satagunt Nordici Americani. Qui quidem navalis scholae tirones calceis illis ex gummis confectis munire optimum duxerunt, ne forte madefierent. Caveant autem ad suam dignitatem tuendam necesse est quae Americanis illis sors inimica eo die paravit, quo co-ram Henrico Borussorum principe lustratio exercitus facta est. Cum enim platea omnis, iteratas ob pluvias, tamquam palus fimo obruta esset, gummae caligae, cum pertransirent tirones, haerebant arctissime coeno; ita ut cum cohors processisset, longum calceorum agmen vestigia militum ostenderet...

VIATOR.

Ioci.  
Recentissimum hoc, quum iuvenis in historiis interrogatus periculum et experimentum suae doctrinae ficeret. Rogat magister: — Quaero quibus de causis Lodoix XVI, Galliae rex, mortuus sit. —

Tum adolescens: — Amabo te, si benevolentiae gratia mihi memoria turbato indica-  
veris qua morte ille obierit. —

Magister sibi nihil quod inde redditum est sive timens, sive sperans: — Obiit, fili mi, — inquit — capite truncatus. —

Illico igitur addidit acutissimus adolescens: — Pape! magister! In promptu mortis causa est, et apertissime patet: obiit immani vulnere amputationis illius!

P. d. V.

Volui aequo iure prodigiosum avem lectorum meorum admirationi proponere, ut, si placaret, in gallinis alendis Probst illum sequentur; haud vero iis suadebo quod placuit Martino Klansdigger americano opifici iter a Neo-Eboraco ad Chicaginis usque moenia complere. Qui, ut sponderat cum amico, sacculo sese concludi est passus atque deferri ad stationem, tamquam tuberum pondus missurum. Chicagine eum manebat amicus, qui suis in ulnis heu quam miserum exceptit! Fame paene vita experit, (quae enim secum attulerat, panem et aquam, primo usque a die absumpserat); oenlis quasi pulvere coecum, lingua et gutture adeo exsiccatis, ut vix loqui iam posset.

Quinimo iam siti Martinus mortuus esset, nisi sorte favente, imber cecidisset fusus, qui per curvus tectum in merces omnes effusus, mafecit sacculum, atque labiis non inviti captivi humorem praebuit. Sponsionem vicit Klansdigg-

Sed Lutetiae quoque Parisiorum Vulcanus sua posuit tropaea: ingens exarsit incendium ex opificio chordis texendis constituto. Cannabis atque gossypium perquam aptam materiam igni praebuere, ita ut brevi altissimae flamme eruperint. Dum concurrit multitudo, dum vigiles aquam machinis admovent, finitimas domus ignis corripit; sospites tamen plurimque cives atque vigiles evasere e ruinis, si quinque excipias leviter vulneratos; at pecu-

**Ciapponi Franciscus et Soc.**

OFFICINA  
ANAGLYPTIS, GEMMIS CONCHISQUE CAELANDIS  
PRAESERTIM IN REDDENDIS FIGURIS  
PHOTOGRAPHICE EXPRESSIS  
TEMPERANTIA IN PRETIO — DILIGENTIA IN OPERE  
ROMAE — VIA SISTINA, 129 — ROMAE

**L**IBER (vulgo "ALBUM")  
praecipua Urbis referens, pulcri-  
tudine insignis atque, commen-  
tarii *Vox Urbis* moderatore iubente, expresse  
conflatus, apud eundem commentarii admi-  
nistratorem, ROMAE, VIA ALESSANDRINA, 87,  
ven. lib. 1.50.

# VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS  
ROMAE — Via Alessandrina, 87

## PROSPECTUS SUBNOTATIONIS AN. MCMII ET PRAEMIA SOCIIS CONSTITUTA.

(Vid. in secunda operculi pagina).

### FIGURAE URBIS ROMAE

ARTE PHOTOGRAPHICA EXPRESSAE  
COLLECTIONES VARIAE ET NUMERO ET PRETIO  
*Veneunt apud comm. VOX URBIS Administratorem.*

### URBIS E IANICULO MONTE PROSPECTUS

(m. 1.10 × 0.24)

qui sociis commentarii VOX URBIS dono datus est,  
venit singillatim L. **2.50**  
*apud comm. VOX URBIS Administratorem.*

SI QUIS PLURA REQUISIVERIT HUIUS PROSPECTUS EXEMPLARIA  
EA MINORI ACCIPIET PRETIO.

### LE LAUDI LATINE IL CANTICO DEL SOLE DI S. FRANCESCO D'ASSISI

S. Maria degli Angeli, presso Assisi, tip. della Porziuncula, 1897

Hoc libello praeter venustam praefatiunculam a Paulo Sabatier, viro  
rei longe peritissimo, conscriptam, continentur laudes latinae cum inter-  
pretatione italica, *Canticum Solis*, neenon illa *Speculi perfectionis* capita,  
quae *Cantici* originem exponunt, aliaque permulta. Libellum, quem proxime  
alii subsequentur ad parvam *Bibliothecam Franciscanam* comparandam,  
Iulius Salvadori, litteris tradendis doctor egregius, maxima edidit cura.  
Romae apud commentarii *Vox Urbis* Administratorem venit L. 0.50, in  
pauperum levamen.

Sociis qui in Nordica America versantur vehe-  
menter commendamus quod a Sodalibus Carmelitis  
novissime institutum est ac regitur

### COLLEGIUM SANCTI CYRILLI

ad liberalem eamdemque Christianam et nostrae  
aetati aptam institutionem iuvenibus comparandam.

Prospectus studiorum et regularum, quae colle-  
gium moderantur, petatur ab ipsius Collegii Pre-  
side, 6413 Star Avenue (Woodlawn) — Chicago,  
Illinois.

### PHILIPPUS VITI Eques

#### MARMORARIUS

ROMAE - Via Alessandrina N. 51, 52 - ROMAE

Affabre sculpit quae sunt ad simulacra, altaria,  
sacella, aediculas, uti patet ex operibus erectis  
aut refectis in Basilica Lateranensi, Liberiana,  
Laurentiana extra muros, Transtiberina, Eudo-  
xiana, etc.